

licitus insuper ei plura præstiturum, si se habilem ad ea faceret. GEN., xxvii, 27, *Rho.*, l. III, c. xi, n. 4.

DIGNITAS. — Diogenes Oratores ter homines vocabat, quia, sicut eum, qui nec facundus, nec humanus, nec doctus est, hominem esse negamus; ita is, qui disertus, affabilis, et doctus est, ter homo merito potest vocari. DREX., l. I, *Rhe. col.*, c. II, § 5.

Moyses ex divino colloquio in monte, cum tanta claritate, et vultus sui splendore descendit, ut filii Israel faciem ejus intueri non potuerint. EXOD., xxxvi, 21.

JUCUNDITAS. — Oratio manna quoddam est cælestis, inquit Rodriguez, quod unicuique saporem offert, et affert, quem vult, et desiderat. Queris humilitatem? dabit tibi saporem humilitatis, exercitium quodlibet de peccatis, de morte, de Christi cruciatibus, de Resurrectione, de beneficiis Dei. Queris, et desideras dolorem, et confusionem tui, patientiam, mansuetudinem? dabunt affatim ea, quæ diximus. P. I et., c. xiv.

Jonathas olim dicebat: Paululum gustavi mellis, et ecce morior: sed qui orationis dulcedinem fructumque degustat, rectius dicit: Paululum gustavi mellis in oratione, et ecce vivo, id est, totus resurgo, et alium hominem induo. L. II *Reg.*, xiv, 43.

Favus mellis, verba composita, inquit Salomon, dulcedo animæ, sanitas ossium, quæ autem verba magis composita existere possunt, quam quæ ab ipso Spiritu S. dictata, et ab Ecclesia approbata sunt? PROV., xvi, 24.

Orationi recte applicari potest illud Sira-cidis: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel, et favum. ECL., xxiv, 26.

Oranti evenit, quod olim Ezechielii evenisse S. Scriptura testatur, dum volumen oblatum est, quod ubi comedit, factum est in ore ejus, sicut mel dulce; idem enim operantur doctrinæ cælestis in oratione hauste. EZECH., iii, 3.

MEDITATIO. — Gerson quæsitus, quodnam exercitium fructuosius censeret Religioso? optimum sibi videri meditationem respondit, eo quod fructus ex lectione aut oratione vocali haustus plerumque cum illis impressus, etiam in futurum serviat. PART. II, *Alph.*, xxxiv.

S. Scriptura dicit, splendorem, qui in facie

Moysis post congressum cum Deo apparuit, fuisse cornu similem, in quo robor animalium solet consistere, ad significandum egrediendum esse ab oratione cum robore, et fortitudine ad laborandum. EXOD., xxxiv, 29.

Eadem S. Scriptura testatur, Patriarcham Josephum fratres suos duriuscule quidem allocutum esse, jussisse tamen interea, æconomum saccos ipsorum frumento, et pecuniis impleri; ita facere solet et Deus, dum durius quidem in meditatione per ariditatem suos filios habet; sed tamen interea mentem cælestibus donis replet. GEN., xlvi, 22.

S. Theresia dixit, neminem quantumvis perditum meditationis exercitium, si a Deo ad id excitetur, negligere debere, eo quod ipsa omnium virtutum comparandarum principium, et omnium Christianorum vita in ea sit sita. IN ITINER. PERF., c. xviii.

AXIOMATA.

Qui nescit orare, adeat mare.

Qui nescit tribulari, nescit precari.

Non clamor, sed amor clangit in aure Dei.

Carius est multo precibus quodcumque paratur.

Quam quod opes, et quod copia larga parant. Multo constat, quod precibus emptum.

Preces Principum armatæ sunt: cogit rogando, qui rogat potentior.

Recte novit vivere, qui recte novit orare.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. I, tr. v.

Jacobus Alvarez, t. III.

Eusebius Nierembergicus, de *Adoratione in spiritu, et veritate*.

Theophilus Bernardinus, lib. VI otio.

Joannes Buseus, in *Viridario*, V. Oratio.

Jeremias Drexelius, in *Rhetorica cælesti*.

Item in *Rosis Marianis*, part. I, cap. ix.

Bernardinus Rosignolius, lib. IV de *Discipl.* a c. I usque ad xxxiii.

Nicolaus Lancizius, *opusc.* vi, vii et xi.

Ignatius Balsamon, tract. de *Modo recte orandi*.

Ludovicus Granatensis, de *Oratione et Meditatione*, lib. tres.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, pag. 7, c. III.

Franciscus Arias, tom. II, tr. vii.

Josephus Mansi, *Biblioth. moral.*, tract. LVIII.

OTIUM.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est vocatio, seu cessatio ab utili negotio; hinc negotium, quod est oppositum otio, sic dictum est, quia negat otium; et penitus excludit.

DIVISIO. — Dividi potest in « Physicum et Morale » seu « Actuale et Interpretativum. » Illud est, quando aliquis necessaria corporis quiete accepta ab omni negotio corporali vel spirituali abstinet, ut faciebant illi, quos Christus in Evangelio allocutus est dicens: Quid hic statis tota die otiosi? MATT., xx, 6. Istud est, quando quis varia quidem negotia suscipit, sed inutilia et nociva; quod Stapletonus apta similitudine declarat, dum ait: Sicut pueri in luteis casulis erigendis occupati, aut in arundine equitantes, occupatissimi sibi videntur, cum tamen nostro iudicio non nisi nugæ tractent; sic omnes occupationes terrenæ, in quibus vel Dei gloria, vel salus proximi, vel nostra non queritur, etsi nobis feria, ac gravis videatur, Deo tamen et Angelis, et Sapienti cuique nugæ, et inane otium videntur. Hinc Christus dixit: Martha, Martha sollicita es et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quam non auferetur ab ea; dum scilicet solum divinæ gloriæ, et salutis suæ negotium curandum suscepit. STAPLET., text. II, in *Dom. Sept.*

ACTUS. — Primus est, « somno plus temporis tribuere, » quam recta ratio postulet, idque temporis dumtaxat fallendi gratia.

Secundus est, « otiosis et inutilibus cogitationibus se occupare: » uti fecerunt illi, de quibus Salomon ait: Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se in finitibus miscuerit quæstionibus. ECL., vii, 30.

Tertius est, « otiosis et inutilibus verbis tempus terere: » de quibus Christus in Evangelio dixit: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. MATT., xii, 36.

Quartus est, « operibus inutilibus se occupare: » quemadmodum faciunt illi, qui non nisi honores, divitias, ac voluptates inordinate sectantur, atque adeo experientur olim quod David dixit: Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum (et voluptatum ac honorum) in manibus suis. PSAL. lxxv, 6.

Quintus est, « tempus male agendo consumere: » ut omnes peccatores, maxime consuetudinarii faciunt. Unde recte concludit Seneca, totam fere hominum vitam otiosam esse, dum ait: Si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. SEN., Ep. 1, ad Lucil.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. PROV., xii, 11.

FUGA. — Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo. ECL., vii, 16.

Non defrauderis a die bono, et particula boni domi non te prætereat. ECL., xiv, 14.

Videte, fratres, quomodo caute ambulatis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. EPHES., v, 15.

Rogamus vos, fratres, ut operimini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. I. THESS., iv, 11.

Denuntiavimus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. II THESS., iii, 7.

DAMNUM. — Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim manus ejus quidquam operari: tota die concupiscit, et desiderat. ECL., xl, 32.

Servo malevolento tortura, et compedes: mitte illum in operationem, nec vacet; multa enim malitiam docuit otiositas. ECL., xxxv, 28.

Qui operatur terram, satiabitur panibus; qui sectatur otium, replebitur egestate. *PROV. XXVIII, 19.*

Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus. *MATT., v, 49.*

Per agrum pigri hominis transivi, per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem ejus spinæ, et materia lapidum destructa erat. *PROV., XII, 30.*

Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem sterlit in æstate, filius confusio- nis. *PROV., X, 5.*

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. *IB., IV.*

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Quid est, quod cum labore meminimus, cum labore discimus, cum labore nescimus, cum labore strenui, cum labore inertes sumus? nonne hinc apparet, in quo velut pondere suo proclivis, et prona sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? *S. AUG., I, XXII, c. XXII.*

Nihil boni facere nihil aliud est, quam facere aliquid mali. Exempli causa: Si servum habes, non rapacem, non ebriosum, non contumacem, sed sobrium, moderatum, vitii omnis expertem, idem tamen si totos dies domi sedeat otiosus, omittatque ea, quæ ad munus suum atineant, nonne graviter vapulabit? atqui nihil mali fecit; sed malefici est, munus suum officiumque neglexisse. Si manus ita affecta sit, ut non linguam illa quidem præscindat, non oculos eruat, nihil denique detrimenti afferat, sed seditiosa cesset, nihil reliqua corpori inserviat, quis non istiusmodi manum inutilem, et ut paralyticam rescindendam potius, quam retinendam putat? *S. CHRYS., in hom. XVIII, in Ep. ad Ephes.*

Deus posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit; ideoque otiosus ab ordine suo, et creatione deficit. *Id. in 2, ad Thess., c. III.*

Non otiosus aut dormientibus provenit regnum cælorum, non otio et desidiosa torpentibus æterna beatitudo ingeritur. *S. PA., I. de conc. 1 temp.*

Mens otiosa nihil aliud cogitari novit, quam de escis, autquam de ventre. *LEO., papa, in Serm.*

In otio vivens res aliorum concupiscit. *ANS. sup. Epist. ad Thessal.*

FUGA. — Quomodo non odio prosequendum otium, quod formica et ape pejorem efficit hominem, qui utique initio conditionis suæ positus est in Paradiso, ut operaretur, et custodiret eum? Primum igitur, et maxime proprium humanæ conditionis studium est, ut operetur; ita ut iners otium sit propemodum præter naturam hominis, id quod afferit, se Dominus odisse. *S. BASIL., in c. I, Is.*

Nulla sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. *S. AMB., I, II, de Cain, c. II.*

Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Sic Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivendi, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, et aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in usus tuos cessura non præpares? *S. HIER., ep. IV.*

DAMNUM. — Otium malitiæ pars est, imo vero non pars, sed causa et mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium. *S. CHRYS., hom. XVI.*

Per hanc (otiositatem) accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasti, per hanc suffocamur pretiose vestiti, per hanc ad verba sæcularia ducimur. Numquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit. *S. AUG., s. XVI.*

Mens otiosi nihil aliud cogitaret novit, quam de escis, et ventre, donec inventa quandoque sodalitate ejusdem viri aut femina æquali tempore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur, et ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tamquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem professionis suæ se valeat enodare. *CASSIAN., I, X, Inst., v. 6.*

Cum arguantur otiositatis ipsi etiam, quos nemo conduxit; qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? fides quippe sine operibus mortua est. *S. BER., s. VIII, in Pur. B. V.*

Omnium tentationum, et cogitationum malorum colluvies est otium, summa men-

tis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ. *Id., s. de PP., de mont.*

Otium est natura pudor, sentina familia, hostis artium, magister ignorantia, pater inopie, curarum prodromus, memorie situs, nox ingenii, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitia, virtutis exilium, vitiorum, hospitium, Angelorum labor, dæmonum præsidium, animæ proditor, terræ probrum, cœli dolor, Numinis odium, Homini vivi sepulchrum, mortui barathrum. *QUIDAM., ap Eng., tom. II, in Dom. Sept., § 1.*

Otium velut juana utitur dæmon, ut illicitas cogitationum illecebras etiam in purissimas mentes instillet. *S. BER., I, I, de Constid.*

Quis utilior est, is, qui in deliciis est, an qui exercetur? quæ navis? ea, quæ navigat, vel ea, quæ in littore manet? quæ aqua? ea, quæ fluit, vel quæ stat? quod ferrum? an quod movetur, vel quo nemo utitur? nam illud quidem splendet, ac argenteo simile est, hoc autem rubigine consumitur, et ubique inutile est. Tale quid sit etiam in odiosa anima; rubigo enim quædam apprehendit illam, et consumit splendorem, ac alia omnia. *S. CHRYS., hom. III, in Acta Ap.*

Otiosa vita mater est nugarum et noveca omnium virtutum; ipsa enim est, quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum facit ei suffocare virtutem et viam construere ad gehennam. *BER. in s.*

Otium peritit Roma, deleta Carthagine. *AUG., I, II, de Civit. Dei, c. xxx.*

Nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam peracta consumit, sanctæ vitæ ratio processu gaudet et crescit, cessatione torpescit ac deficit, quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est et vivendi hoc iter, non de transacto, sed de reliquo metiendum. *HIER., ad Demet.*

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — Gandavi cum plures Senatores ante portam domus senatoriæ sederent, et mendicis quidam asserens, se morbum occultum, quem prodere pudor vetaret, habere, eleemosynam petiisset, omnesque dedissent, quidam illorum famulum suum

post illum misit, percontaturum, quis esset tandem, morbus ille, quo laboraret? cui mendicis, cum omnia membra sana, et robusta apparerent, confessus est tandem, morbum pessimum, quo tantopere singula sua membra affligantur pigritiam et otium esse. *ENGEL., in Dom. Sept., § 2.*

FUGA. — S. Paulus de se ipso ad Thess. scripsit: Scitis quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum graveremus. *II Thess., III, 7.*

S. Hier. de Ægyptiorum Monasteriis testatur, quod nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne mens perniciosus cogitationibus vegetur. *S. HIER., ep. IV.*

Abbas Paulus singulis annis folia palmarum intra annum collecta supposito igne cremabat, in tantum probans, sine opere manum, nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando descendere, ut cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis, et cogitationum soliditate, ac perseverantia cellæ, vel acediæ ipsius victoria et expurgatione perficeret. *CASS., I, X, Inst., c. XXIV.*

S. Franciscus et sua ipse manu sæpe laborabat, et otiosum quemdam, laboribusque fugitantem, fratrem Muscam appellavit, atque ab ordine suo removit. *BOX., in ejus Vit.*

S. Bernardus, cum alios suos fratres diligenter in labore corporali exercendis suscepisset, ne se quidem excipii voluit; et si quidem communem laborem sustinere non valebat, alio sibi commensurato labore compensabat. *SUR., 20, aug.*

D. Antonius Monachorum pater cupiens otiositatem fugere clamavit ad Dominum in eremo: Domine Deus, o animarum et corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde servo tuo misericordiam, ut in eremo collocatus in conspectu tuo otiosus non maneam. Et audivit Antonius: Antoni, cupis Deo placere? ora, et dum orare non poteris, manibus labora, semper aliquid facito, fac quod in te est. Age quod potes et non deficiet tibi auxilium de sancto. *D. ASTRON. in Vita ejus.*

Ferunt Beatam Virginem Dei matrem, dum adhuc in templo serviret, a summo

mane usque ad horam tertiam precatōnes extendisse, a tertia ad nonam lamificio sese occupasse; inde demum sumpto cibo usque ad occubitum solis lectitasse Scripturas, et in earum meditatione pernoctasse. Hac itaque vite institutione ad tantam morum sanctitatem devenit, ut sola prae omnibus eligi mererit, quae et Salvatorem mundi pareret, et post partum Virgo permaneret. Quod si haec quae sine peccato concepta, omnis prorsus peccati expers semper fuerit, id temporis, quod lectioni orationique superaret manuum labore sibi transigendum duxit, quomodo te in ignavia, otii mollitudine, quandoque desidientem, securam arbitraris, o virgo! quam in peccatis genuit mater, quam quotidie interius cogitationes, exterius prout ad vita sensus impugnant. Crede mihi, non effugit decipulas diaboli, quisquis laborem fugit. MAR., l. II. *Ex.*, c. IX.

DAMNUM. — David, quamdiu se exercitavit in militia, non insultavit ei luxuria; sed postquam in domo otiosus remansit laboravit adulterio, et homicidium commisit; ut loquitur S. AUG. S. AUG., s. XVI, ad PP.

Sampson, dum cum Philistaeis pugnavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu Dalila, et otiose cum ea remansit, mox capitur, et excæcatur ab hostibus.

Salomon, quamdiu occupatus erat in ædificatione templi, non sensit luxuriam; sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, et deficiens femina instigante adoravit in thalamo vitulum aureum. Unde merito concludit idem S. AUG. Vigilate itaque, Fratres mei, et nolite deficere, quia nec sanctiores Davide, nec fortiores Sampson, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco.

Quidam Patrum cum dæmonem e fratris cujusdam cella modo ingredientem, modo egredientem vidisset, et ex fratre quasi-vidisset, quid ageret? deprehendit, tum ingressum esse dæmonem, quando otiosus fuerat; iterumque exiisse, quando laboribus honestis, et utilibus sese occupabat. SALUT., p. I, *Spec.*, c. XVII.

Vide plura tit. Acedia.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius cum duos, tresve rei familia-

ris adjutores ad januam alieno tempore conversantes aspexisset, illico jussit acervum lapidum in proximo situm, in summam ædium contignationem sine cunctatione transferre; cumque post tres menses iterum confabulantes reperisset, eundem acervum in priorem locum referre eos jussit, simulque admonuit nihil in Dei servitio periculosius esse, quam otium. Hinc etiam in regulis præscripsit, ut omnes, quamdiu, sani sunt, semper occupati esse studeant, ne otium malorum omnium origo domi nostrae locum habeat. PS. III, *Const.*, c. I, § 6.

Paulus Vergius tam sedulo labori vacavit, ut varias quotidie laborandi rationes excogitaverit, dicere solitus, quo quis diutius in Religione vixisset, tanto minus ei de quiete et otio cogitandum esse. Et qui perseverare ac mori bene in Societate velit, illi laboribus immoriendum esse. ANNUE 1603. *Coll.*, Crumblou, f. 375.

Joannes Baptista Gentilis otium adeo exercrabatur, ut non modo imperatos sibi labores peraccurate expleret, sed alios etiam studiosissime juvaret, ideoque pes et manus omnium diceretur. ANNUE 1659, *pro Med. Coll. Taur.*, n. 23.

Hubertus Vagemberg summus osor otii extiterat, ideoque laborem non minus, quam alii quietem amabat; unde cum per semestre ob morbum lecto affixus esse cogere, nihil gravius ei accidebat, quam quod consuetis laboribus vacare non posset. ANNUE 1595, f. 120.

Joannes de Mendoza licet honestissimis ortus natalibus tanta tamen cum sedulitate ministerium ac labores Marthæ obibat, ut etiam, cum debilitatus vix se sustentaret, ab iisdem cessare noluerit, ne mors, ut dicere solebat cessantem et imperatum occuparet. ANNUE 1612, f. 34.

Joannes Farinæus etsi toto jam corpore exhaustus fuisset, nihilominus tamen nec momentum elabi sibi passus fuerat, quod non vel corporalibus, vel spiritualibus exercitiis impenderet. ANNUE

EXEMPLA PROFANA.

FUGA. — C. Farius Ctesinus, cum ex parvo agello multo copiosiores fructus, quam alii ex amplioribus fundis perciperet, ideoque apud Senatū ut de veneficio suspectus

accusatus fuisset, comparuit quidem, sed omnia sua instrumenta, bovesque, ac filiam validam in forum adducens, dicensque: Hæc sunt, Quirites, veneficia mea, quibus tam copiosos fructus obtinui: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere incubrationes, vigiliæ, et sudores meos. Quo audito omnium calculo absolutus est. PLIN., l. XVIII, c. VI.

Pisistratus Rex Atheniensis in forum accersiri jussit otiosos in foro deambulantes, edixitque, si boves et sementem non haberent, de suo acciperent, ut terram excolerent, veritus, ne istorum hominum otium sibi insidias strueret, aut ad furta ac rapinas provocaret. ÆLIANUS, *ap. Eng.*, in *Dom. Sept.*, p. 2.

M. Aurelius eam regionem felicem pronuntiavit, ubi nulli otiosi forent, sed omnes proprio labori fruerentur, nec quisquam sudore alieno viveret. *Ibid.*

Sinenses neminem otiosi permittunt, quod usque adeo observant, ut caecos etiam in pistrino laborare, claudos vero aut aliter pedibus male affectos, manibus laborare cogant. JARRICUS, t. II, *Ser. in d. l. IV*, c. CCLII.

Romanus Cato neminem in civem Romanum admittēbat, qui non prius manum suam inspicendam didisset, eamque per labores, induratum, ac callosam ostendisset. *ENG.*, l. c.

Draco Rex Bithyniæ lapidari jussit eos, qui in otio deprehensi fuerant, præter pueros, et senes. FAB., conc. II, in *Sept.*

Sed et Romæ olim nemini in publicum prodire licebat, nisi insigne opifisii vel artis, quæ aleret, aut occuparet sese, secum portaret. Quod si quis secus fecisse comperitus fuit, non solum puerorum insequentium clamoribus ut fatuus incessabatur, sed etiam a Censore condemnatus cum aliis ergastulis operi publico faciēdo addicebatur. *Ibid.*

Amasis Rex apud Ægyptios legem condidit, ut singuli singulis annis apud provinciarum Præsides demonstrarent, unde viverent. Et qui hoc non faceret, aut, unde legitime viveret, non demonstraret, velut inutile pondus terræ vita muletaretur. PLIN., l. XXXVI, c. XII.

Athenienses otiosos homines non aliter puniebant, ac si magnum aliquod delictum perpetrassent. VAL. MAX., l. II, *de Inst. antiq.*

QUALITAS. — Varia vir Prætorius nulla

alia re, quam otio notus consensit, propterea a transeuntibus diei sebat: Varia hic situs est. SENECA, in *Epist.*

Domitianus Imperator quotidie per horas aliquot se in cubiculo abscondebat, et muscas stilo configebat. Hinc perunctantibus, quis cum Imperatore esset? responsum: Ne musca quidem. *ENG.*, *Dom. 9 post Pent.*, p. I.

Hartabus Hircaniæ Rex talpas capiebat: Eropus Macedoniæ Rex Lydiæ filo ranas colligebat: Ptolomæus omnium artificum tabernas obambulabat. *Ibid.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut inter ignem, et aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec dematur; sic inter apicem superbiæ, et voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est: Non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. S. AUG., *Ep. LXXXI.*

Sicut in Magnatum culinis, cum ignis signior est, butyrum affundunt, ut ad flammam irriterit; ita diabolus utitur otio ad corda hominum accendenda. DREX., c. III, § 1.

DAMNUM. — Sicut ex temperato labore carnis incendia cohentur; sic ex otio foventur et crescut. S. BERN., *de Lig. vit.*, c. V.

Sicut aqua, quæ caret decursu, ac jactat in foveis, putrescit; ita et corpus otii tæbe confectum, concupiscentiarum, et voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam. *Id. de Gr. perf.*, c. IX.

Sicut terra non occupata semente aut conditione quamlibet herbam producat; sic et anima, quoties non habet, quod agere rerum necessarium, cum omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. S. CHRYS., h. IV, in II *ad Cor.*

Sicut oculus non desinit cernere, atque ob hoc cernit mala, si bona non potest habere, objecta; ita et cogitatio, quoties se abducit a seriis vel necessariis, circa inutilia versatur. MAR. TUB., *fac.*, tr. II, lect. VI.

Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, et excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergitur; ita ex otio atque ignavia concupiscentiæ, et cogitationes pravæ multiplicantur, donec navis cordis

ei succumbens in pectore periclitetur. S. BERN., *S. de S. Andr.*

Sicut auceps sagittam in aves volantes dirigere non consuevit, sed, ubi conseriderint, ac quieverint, in eas collimat ac ferit; ita dæmon non nisi otiosos telo cupidinis inflammare solet. ENGL., in *Sept.*, t. II.

Sicut rubigo ferrum; ita vires otium emollit. LANG., in *Polyant.*, v. eod.

MOTIVA.

Quia hoc vitium dissuadent exemplo suo « Deus et Christus; » cum de Deo dictum sit: In ipso vivimus, movemur, et sumus. ACT. XVII, 18. Et iterum: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. JOAN., v, 8. De Christo vero, quod in laboribus fuerit a juventute sua. Ps. LXXXVII, 6.

Quia dissuadent « omnes res creatæ; » uti pulchre S. Augustinus ostendit his verbis: Ecce sol cursum anni perficit. Luna etiam mensibus et vicissitudinibus discurrit, et cætera stellæ. Omnia enim deputata sibi officia sine quiete exercent. Numquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiunt, numquid etiam laborant, ut conserventur inesse? numquid suis necessitatibus defigere et pigrescere ea advertimus? absit. Omnia enim sub obedientia sunt, omnia agunt, quod agere debent. Quæ ergo dementia est, ut solus homo de ignavo otio agendo cogitet? S. AUG., s. xvi, ad *FF.* in *er.*

Quia dissuade « ipsa natura » finem creationis impropereans: neque eo consilio, inquit S. Basilus, Dominus hominem finxit, ut segnis ac languens desideret, sed potius ut esset, qui se in laboribus honestis exerceret: quandoquidem et primo Adæ in Paradiso præcepit, ut laboraret, et paradisum custodiret; et tum deinde, postquam ex illo ejectus exulavit, sententiam tulit, ut pane suo in sudore vultus sui vesceretur. S. BASIL., in *Const. monast.*, c. v.

Quia ipsa « Otii malignitas » dissuadet: cum otium maleficii principium esse, nemo est, qui ignoret, teste S. Basilio. S. BASIL., h. vii. Hinc et S. Chrysost. suos admonens, valde inquit, desidero, vos bonis operibus esse occupatos, omnium enim vitiorum quasi magistra quædam atque origo est otiositas. Et sicut cognata sunt vitia men-

tiri et furari, ita et proximi sunt nihil et male agere: tempus perdere, et castitatem non retinere: otiosi et luxuriosi. S. CHRYS., hom. XXXVI, in *Matt.*, DREX., in *Nic.*, c. III.

Quia « Premii » laboribus promissi magnitudo dissuadet: de quo sic S. Augustinus: Dicam Deo meo: Propter verba laborum tuorum custodivi vias duras, ad quam ego mercedem? Audi, et noli deficere. Si deficiet in laboribus, promissa mercede fortis esto. Homo promisit, qui te potest fallere, quanto fortior esse debes in agro Dei, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori, nec fallere potest eum, qui promissum est. Et quid est? aurum est, quod hic multum amant homines, an argentum an possessiones, ob quas homines fundunt aurum? an amœna prædia, ample domus, multa mancipia, animalia numerosa? non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid dicitur merces ista? vita æterna. Audistis, et gravi exclamatione: amate, quod audistis, et liberamini a laboribus vestris in requiem vite æternæ. S. AUG., tr. IX, in *Joan.*

Quia dissuadet « Periculum » salutis amittendæ, quod otiosus incurrit, cum is, qui laborat, ab uno tantum, otiosus vero ab innumeris dæmonibus infestetur: atque adeo facile vincatur, uti jam olim antiqui Patres senserunt.

MEDIA.

« Amorem Dei ardentem procurare: » nam amor, teste S. Gregorio, numquam est otiosus; operatur enim magna si est; aut si operari renuit, amor non est. S. GREG., in *Hom.*

« Christi et sanctorum labores frequenter ponderare; » sic enim nolle quis sub capite, reliquisque membris laboriosis commembrum esse delicatum.

« Mundanorum exemplum ob oculos habere, » qui pro tam exiguis bonis tam magnos labores exantlant, atque adeo illam piæ Ascetæ admonitionem sibi applicare. Erubescere, serve piger et querulose, quod illi paratiores inveniuntur ad vanitatem, quam tu ad veritatem. Pro vana re et parva promissione die noctuque fatigari non timeatur, sed pro dolor! pro bono incommutabili, pro summo honore et gloria interminabili, vel

ad modicum fatigari pigritatur. TH. K., l. III, c. III, § 3.

« Præmi laborantibus promissi magnitudinem frequenter meditari: » certe S. Mechilidis, cum semel a Christo visitaretur, has voces Beatorum audivit: O felices vos, qui in terris adhuc degitis, meritorum enim cumulos majores potestis vobis comparare; si enim, quantum quotidie meritorum mortalibus sibi acquirere potest, probe intelligeret, quo temporis articulo mane expergiscitur, summo perfunderetur gaudio, advertens diem sibi illucescere, qua Deo vivere, et tantis se divitiis locupletare posset. BRODEND., l. VIII, coll. c. XXX.

« Timor supplicii otiosis in altero orbe parati, velut flagello, sese ad laborem extimulare: » Servus enim sciens voluntatem Domini sui, et non faciens, vapulabit « multis. » LUC., XVIII, 47.

Vide plura in Verbo Acedia.

ASCETICA.

Tria præcipue de hoc vitio bene observare debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi et aliis persuadeat, quod Cassianus sequentibus verbis tradidit: Hæc apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem Monachum dæmone uno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari. CASSIAN., l. X, *Ins. mon.*, c. XXIII.

Alterum est, ut pariter æstimare norit, quod S. Hieronymus pronuntiavit dicens: Nihil in sancto proposito deterius est otio, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam peracta consumit. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, et crescit, cessatione torpescit et deficit; quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, et vivendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum. S. HIER., ad *Dem.*

Tertium est, ut, si forsan ipse aut alius præteritum tempus minus fructuose impendit, noverit, quomodo hæc jactura reparari queat. Id quod eleganter S. Augustinus in hæc verba docuit: Expectatis a me forte scire, quid est tempus redimere? dicitur sum, quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt:

tamen dicam, quoniam ipsi pauci, qui me audituri sunt, inter malos vivunt. Redimere tempus hoc est, quando aliquid tibi infert item, perde aliquid, ut Deo vaces, non libus perde. Ergo eo, quod perdes pretium est temporis. Certe quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, et emis tibi panem, aut vinum, aut oleum aut aliquam suppellectilem, das, et accipis; aliquid amittis, et aliquid acquiris, hoc est emere; nam si nihil amittas, et habeas, quod non habeas, aut invenisti, aut donatum accepisti, aut hæreditate acquisivisti. Quando autem aliquid mittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes emptum est: quod amittis, pretium est: quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid, sic perdes nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc et tempus redimere. S. AUG., s. XXI, de *ver. Apost.*

CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione thematis: « Domine, puer meus jacet paralyticus, et male torquetur: » potest otium paralysis comparari propter triplicem causam. 1. Quia omnia membra impedit a labore, atque adeo etiam lucro, sicut paralysis, qui effectus in otio tanto magis est æstimandus, quanto præstantius est lucrum, quod per laborem Dei causa susceptum superari poterat. 2. Quia gravem valde dolorem creat, ut paralysis; nam vero otioso applicari potest illud pii Ascetæ dictum: Tepidus habet tribulationem super tribulationem, quia interiori consolatione caret, exteriori querere prohibetur. L. I, de *Milit.*, c. xxv. 3. Quia admodum gravem molestiam creat domesticis, et aliis, quibuscumque versatur otiosus, sicut paralysis; quando scilicet alii ipsum alere, portare, sublevare, ejusque labores, et officia in se suscipere debent, idque non per modicum tempus, sed per totam quasi vitam. Ostendatur subinde, quomodo ab hoc morbo curari possint, scilicet ad Christum confugiendo, ejusque vel exemplum ponderando, vel presentiam cogitando, vel auxilium, in Eucharistia maxime, invocando.

Ex occasione thematis: « Qui sectatur otium, replebitur egestate » PA., XVIII, 19. potest explicari quadruplex egestas, quam patientur otiosi, nimirum. 1. « In bonis

temporalibus, » juxta testimonium Salomonis : Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi. PR. XX, 4. Et S. Pauli : Si quis non vult operari, non manducet. II THESS., III, 10. 2. « In bonis famæ : » quia qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit in æstate, filius confusionis, ut ait Salomon. PR. X, 5. 3. « In bonis gratiæ : » nam hic vel maxime verificabitur Proverbium illud Salomonis : Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat. IB., 4. 4. « In bonis gloriæ : » quia qui parce seminavit, parce et metet, et unusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem. II COR., IX, 6.

Ex occasione thematis : « Multam malitiam docuit otiositas, » I COR., III, 8. demonstrari potest, quomodo otium vere sit radix omnis malitiæ idque ex triplici capite. 1. Quia denudat et spoliat hominem otiosum auxilio, et presidio divino; neque enim Deus juvare solet hominem, qui cooperari non cupit. 2. Quia a pluribus, imo, ut S. Hieronymus ait, immuneris demonibus infestari facit. 3. Quia homini ipsi etiam quodammodo manus ligat, ut defendere se contra hostes non possit. Quæ omnia facile fusius diduci possunt.

Ex occasione thematis : « Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum repleverant urtica, » et operuerant superficiem ejus spina : » PR., XXIV, 30. possunt explicari damna otii, spinisque hoc comparari. 1. Quia sterile et infructuosum est, ut spina. Hinc Siracides ait : Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim manus ejus quidquam operari, tota die concupiscit, et desiderat. ECCLES., XI, 32. 2. Quia impediunt etiam fructum sui semen honorum operum, ut spina. 3. Quia fodicant et pungunt conscientiam, ut spina. 4. Quia sub eo se abundant venenata bestia, id est, peccata, sicut sub spinis. Excitentur proinde Auditores ad has spinas toto animi conatu evellendas.

Ex occasione thematis : « Dicit piger : Leo est in via; et leæna in itineribus. » PR. XXVI, 13. Potest explicari radix, et causa potissima odii, scilicet « timor difficultatis, » et molestiæ, quæ in operando solet intervenire, et ob horribilem speciem merito leoni potest comparari? Et « concupiscentia inordinata bonorum sensibilibus, » quæ ob vim alliacendi, et nocendi non incongrue leæna assimilari potest. Unde merito jam olim

Philosophi totam Philosophiæ summam in geminis illis verbis : « Abstine, et sustine, » collocarunt. Ostendatur proinde, quomodo gemina hæc causa seu radix evelli, sicut ipsum etiam otium eradicari debeat.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte de otio dixit Seneca : Otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura. SEN., ep. XXXII.

Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare, servile otio et luxui vacare. ENGELGR., in *Dom. Sept.* § 2.

Caji Marii apud Salustium imperatoria vox erat : Nemo ignavia immortalis factus est. IB.

Gerrardas Spartanus a quodam hospite rogatus, qua poena multarentur adulteri, cum nihil super hac re sancitum a Lyeurgo sit? Nullus apud nos adulter hospes est, respondit. LANCIZ., op. 1, n. 162.

Theophrates interrogatus, quid esset amor? respondit : Animæ otiosæ affectus. IB.

Demetrius vitam otiosam, et sine illis fortunæ incursionibus mare mortuum reputabat. SENECA., *epist.* LXVIII.

DAMNUM. — Recte cecinit Ovidius :

Otia si tollas, perire cupidinis arcos,
Contemptaque jacent, et sine luce, faces.
OVID., de *Rem. Amor.*

Fridericus Marchio Brandenburgensis extremis tabulis Fridericum secundo gentium Joanni primogenito prætulit, ac Marchionatum eum Electoratu Imperii hac una de causa transcripsit, quod natu major utpote otii ac quietis amantior non bene administraturus hanc dignitatem videretur. ÆNEAS SILV., in *Comm.*

Otium et Reges simul ac beatas perdidit urbes, ut recte jam olim Catullus cecinit. CATULLUS, *ad Less.*

Appius Claudius sæpe dicere solebat, negotium populo Romano melius, quam otium committi, quod adverteret, nimia quiete imperia in desidiâ resolvî; et negotium nomine quidem horrendum civitatis mores in statu suo continuisse, blandæ appellatiōnis quietem vero plurimis vitis perspersisse. SENECA, I. VII, tit. *Sapienter dict.*

Non male damna otii Ovidius descripsit his versibus :

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aque?
Et mihi, si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit, estque minor factus inerte situ.
OVID., I, *Pont. eleg.* VI.

Breviter etiam Lucanus :

Varium dant otia mentem.

LUCAN., I.

S. Bernardus aliud damnum insinuavit dicens. Agnoscant homines, quod, qui in laboribus non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant, quam placeat Superis civibus labor, cujus spiritualis intentio est. S. BERN., s. de *Nat.* III.

AUCTORES.

Joannes Bufæus, in *Panario*. V. eodem.
Jeremias Drexelius, in *Niceta*, c. III.
Jacobus Marchanthius, in *Tuba Sacerdot.* tr. IV, lect. VI.
Henricus Engelgrave, in *Luce Ev.* tom. III.
Mathias Faber, conc. II in *Dom. Sept.*
Thomas Stapletonus, text. III, in *Sept.*
Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eodem.
Didacus Stella, lib. III de *Contemptu mundi*, p. 20.
Philippus d'Outreman, in *Pædagogia Christiano*, p. I, c. VII, § 8.

PASSIO CHRISTI.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Sunt cruciatus, et mors a Christo per generis humani redemptione tolerati; de quibus jam olim Isaïas prædixit vere languores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ISAIA., LIII, 4.

DIVISIO. — Dividitur in Passionem « Internam et Externam, » seu « Corporis et Animi, » de quibus Christus ipse olim duobus filiis Zebedæi dixit : Potestis bibere « calicem » quo animi cruciatus indicantur quem ego bibo aut « baptismo » per hunc intelligendo corporis cruciatus, quo ego baptizor, baptizari? MARCH., x, 38.

PARTICULARES CORPORIS CRUCIATUS. — Fuerunt quinque præcipui in recitatione Rosarii dolorosi usurpari soliti. Quorum primus fuit *agonia sanguinea* Christi: quæ ex quatuor causis profluxit. 1. Ex conflictu interno, quo ex una parte horrore tormentorum, et mortis, ex altera zelus honoris Dei et fructus Redemptionis hominum certabant inter se. 2. Ex apprehensione peccatorum omnium ab hominibus commissorum et committendorum, quorum multitudinem, enormitatem, et effectus ponderabat. 3. Ex consideratione exigui fructus ex Passione sua orti, et perditionis tot animarum, de quibus jam olim per Isaïam conquestus est dicens : In vanum laboravi, sine causa, et vane consumpsi fortitudinem meam. Ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. IS., XLIX, 4. Ex consideratione dolorum, et tormentorum, atque afflictionum, quas Martyres, et Confessores passuri essent. Hinc S. Laurentius Justianus dixit, quod tunc fuerit lapidatus cum Stephano, crucifixus cum Petro, excoriatus cum Bartholomæo, assatus cum Laurentio, etc.

Secundus fuit *flagellatio* : quam ipse indicavit per Psalmistam dicens : « Congregata sunt super me flagella. » PS. XVII, 48. Et iterum : « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, » vel, ut alii legunt, « araverunt aratores, » PS. XVII, 3. Fuit autem hæc flagellatio crudelissima, multis ex capitibus. 1. Ex parte instrumentorum, quæ juxta S. Chrysostomum, Eusebium, et alios fuerunt virgæ, funes, et catenæ ferreae, quibus totum corpus adeo laceratum est, ut a planta pedis usque ad verticem non fuerit in eo sanitas, ut dixit Isaïas. ISAIA., I, 6. 2. Ex parte corporis Christi, quod erat tenerissime, et sensibillissime complexionis, multumque debilitatum agonia et tormentis præcedentis noctis. 3. Ex multitudinetum qui ex revelationibus comperti sunt excessisse quinque millia. 4. Ex odio Pontificum aliorumque Judæorum instigantium milites ad acerbam flagellationem.

Tertius fuit « coronatio : » quæ et ipsa